comprobavit: nempe hoc ſenſu: *Domi ne ſis ſecurus. Inimici tui ſuâ vi ter intrabunt terram tuam, & ſubjicient ur* אור hoc eſt, *ignem domui tuæ.*

Cicero in Tuſc. Surdaſter erat M. Craſſus, ſed illud peſſimum, qvod malè audiebat. Sic: mittere librum in lucem, *pro*, cremare.

Iſtiusmodi ceream flexibilitatem non habere locum *Act.* 3. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, rectè negat *Danhauerus p.* 156. ſcripturæ enim finis eſt σοφίσαι. 2. *Tim. c.* 3. 15. non ſophiſticari & lex Domini תמימה *perfecta eſt Pſal.* 19. 8. Male itaq; οὐρανὸς in locum ſubjecti mutatur. Syntaxis enim hæc eſt: ὃν χριστὸν, *qvem Chriſtum* (de illo enim loqvitur in verbis præcedentibus) δεῖ *oportet* δεχθῆναι οὐρανὸν *cælum capere*, h. e. cœleſte regnum vel dominium occupare, ſicuti patet ex 1. *Cor.* 15. v. 25. ubi dicitur: qvod Chriſtum oporteat regnare &c. Vel ut *Pſal.* 110. dicitur: ad dexteram Domini Patris ſedere. Unde patet ὃν χριστὸν eſſe *ſubjectum*, & δεχθῆναι οὐρανὸν eſſe *prædicatum.* Et hanc interpretationem & ipſe *Syrus*